



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Iacobi Philippi Tomasini Sancti Georgij ab Alga Venetiarum Canonici Secularis De Donariis ac Tabellis Votivis Liber Singularis

Tomasini, Giacomo Filippo

Vtini, 1639

XXIX. Venatorum Vota.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13253

simplicitas. Huiusmodi namq; sunt omnino fictilia boum ac veruecum capita in Museo Viri eximij Io: Baptistæ Casalis: quæ anathemata fuisse anfa mihi fidem facit ijs apposita, quæ commodiùs parietibus iungi poterant.

CAPVT XXIX.

VENATORVM VOTA.

INter varia ruris oblectamenta Venatio facilè primas tenet Viro dignior, quàm piscatus, aut aucupium. Præterquam enim, quod firma recte valetudini præsidia ministrat, artus laboris tolerantia, militiæ aptos reddit:

— belloq; animos incendit agrestes.

ut eleganter Poëta Æn. VII.

Imo Principum ac Heroum etiam genium ad magna inuitat. Quid enim aliud significat Virgilianum illud:

————— pulcher
Insidijs cursuq; feras agitabat Iulus.

Et post.

Ipsè etiam eximia laudis succensus amore
Ascanius, curuo direxit spicula cornu.

Mythici exercitationis huius originem in Nympham referunt, quæ venationi dedita cum in retia incidisset, si vim feræ ipsam acriter insectantis euaderet, Dianæ Sacellum promisit: Quod voti rea ipsi postea extruxit, ut videre est apud Plut. Lib. III. Symp. Cap. postremo. & Lib. de Solertia Animalium. Hinc Latinus Rex apud Maronem Æn. IX.

Tu Dea, tu præsens nostro succurre labori,
Astrorum decus, & nemorum Latonia custos,
Si qua tuis unquam pro me pater Hyrtacus aris
Dona tulit, si qua ipse meis venatibus auxi
Suspendere tholo, aut sacra ad fastigia fixi,
Hunc sine me turbare globum, & rege tela per auras.

Ex-

Expressius Lib. II. Eleg. XIX. Propertius:

*Ipsē ego venator: iam nunc me sacra Dianae
Suscipere, & Veneri ponere vota iuuat.*

id est, figere dona. *TON MNAE DIANA*

Quenam hæc fuerit, exponit Leonides Alexandrinus Lib. Epigram. aliquoties laudati. Cap. XIII. Pharetra nempe, Arcus, & Sagittæ. Credo etiam Retia, & Venabula. Quò alludens Claudianus 4. Honor. Consul.

*Tibi sæpe Dianæ
Mœnialios arcus venatricesq; Pharetras
Suspendit puerile decus.*

Verùm & prædæ pars oblata. Huc facit Poetæ illud Ecl. VI. I. vers. 33.

*Setosi caput hoc apri tibi, Delia, paruis
Et ramosa Mycon viuacis cornua cerui.*

Atque imprimis Cornua. Vnde Liuius Lib. I. Bos in Sabinis nata cuidam patrifamilia dicitur miranda magnitudine ac specie (fixa per multas ætates cornua in vestibulo templi Dianæ monumento ei fuisse miraculo) habita, ut erat res prodigij loco est. Symmachus itidem Lib. V. Epist. 66. Honori Numinum datur cornua sacrare ceruorum, & aprinos dentes liminibus affigere. Addit Interpres Aristophanis: Consuetudo fuit venatoribus, partem prædæ, vel caput, vel pedem, affigere clauo in quadam arbore, in honorem Dianæ.

Occasionem huius ritus ex Scholiaste Pindari suis in Anthologiam Notis hanc tradidit Brodæus: Creditum ab antiquis Dianam Idibus Augusti venatu abstinere, ideoq; nec venari tunc, cessante Dea, licuisse, sed coronari consuetos canes, facesq; accendi spicatas, iuxtaq; suspendi quicquid erat venatoriorum instrumentorum.

Dianæ verò sacra candidæ Ceruæ immolatione peragebantur. Quamobrem de Iphigenia scitè Ouidius

*Candida, qua semel est pro Virgine caesa Diana
Nunc quoque pronulla virgine cerua cadet.*

CA-